Ad Illustrissimum, atque Excellentissimum

D. ALBERICVM CYBÒ PRINCIPEM CARRARIÆ:

Cum recèns magno sumptu, ac peculiari constructum munificentia
SERENISS. CAROLI PRIMI DVCIS MASSÆ,
Proque eiusdem fato functis Familiæ
DEIPARÆ VIRGINI SACRATVM
Deuota Ciuium, ac populorum frequentia
aperiretur nobile Sacellum;

VRANIA

FRANCISCI BERRETTARII.

MASSÆ, M. DC. XCIV.

Typis Hieronymi Marini. *Superiorum permissu.*

PARAENESIS.

QVO rapiar, quò me, Aoniæ, ferat impetus vsque,
Non ignoratis causam; aspirate docentes,
Oro, quid expediat. Tuque Alberice, parentum
Lætitia, & spes, quàm Cybò decus addite Genti
Rebus ades: verùm ne sim Tibi fortè molestus,
Intereà tecum fatis reputanda supremis
Nunc parte ex aliqua potius monumenta tuorum,
Quæ cano, quàm versus ipsos audire licebit.
Non procul exierat roseis Aurora tapetis,
Vixque caput rutilum, radiansque emerserat altis
Phœbus aquis; cùm facta foret de more potestas
Cogere Pierias in aperto Helicone Sorores
Concilium, Clariusque die fortassis eodem
Vraniæ cætus (iuuat his ea cura vicissim)
E reliquis vni sacrum concesserat œstrum.

Intereà ſolemnis erat, feſtiuaque Maſſæ
Lux eadem, qua nempe ſuus Natalis ad aſtra
Cœlorum Dominæ è terris celeberrimus ibat
Annuus. At rerum Vates benè conſcius ante
Veſtibulum, plenaſque fores, limenque Sacelli
Carrion ex antro, quo Frigidus alget eodem
Progreſſus fuerat: didicit Muſamque precatus
Afforet, hac tales concepit voce furores:

Tu, quem Seraphici Herois per vota, preceſque
Templa ſubiſſe iuuat, verte, ac penetralia dexter
Alterutris contende vijs hinc ſedulus, aut hinc
Ingrediens, tantoſque pij mirare labores
Principis, ingredere: Elyſij noua limina Clauſtri
Adſpice corporibus, quibus hanc erecta per Aram
Tuta ſedet Requies, Indultaque plena, ſoluto
Crimine ſuffragijs: ſacros venerare Penates.
Ante omnes autem ad gremium Genitricis honores
Infanti Genito Tranſlatæ Virginis offer
Ex illa antiqua longo venerabilis æuo
Fornicis Menſa Cybò, quæ condita Romæ
Æde fuit Populi, ac demum reparata vetuſtis
Sedibus ex Alderano præſtantior adſtat;
Cùm ſperes cunctis, credaſque Nepotibus ipſam

Haud

Haud vllo inferiore gradu, quin diuite cultu
Hic Matrem precibus mitem sine fine futuram:
Huius ad effigiem depictæ lumine viuo,
Huius ad intuitum splendentia marmora spirant.
Sique Sacerdotio fueris decoratus, adesto,
Fungensque officio Altaris succede minister
Propitius, Cæloque animas solare precando.
Hisque sed inferior dignatus honoribus, adde,
Vt quibus hic ossa in nitido sunt condita Busto
Terrarum Dominis fulgentia Spiritus ipsis
Astra magis rutilet; cumque hęc Domus inclyta maior
Institui numero Maiorum nomine possit,
Parua tamen spatio, re non angusta valebit,
Qualis vbi exigua pretiosum fronte lapillum
Circundat Gemmamuè breui premit annulus auro.
Vt verò insignes à fundatoribus Vrbes,
Structasque à prima miramur origine Moles:
Hanc Albericus posuit virtutis auitæ
Cuncta sibi accumulans, quam denique Carolus idem
Primus ab imperio tàm clari sanguinis hæres,
Quàm Ducis accipiens rerum moderator habenas
Confecit iuxta placiti legata Parentis:
Non alia (si vera tamen sit fama) benignum,

In-

Ingenuumque ferunt animoſo corde leonem
Diſſimili pietate geri : quæ corpora fatis
Obtruncata patrum , Parciſque oppreſſa , ſuiſque
Contendens à parte loco dat funeris arte
Non ea diſcordi , quæ natis debita credit .
  Hic certare vides curas vtriuſque , nec impar
Quas paret ingenium vires, menteſque ſecundent ;
Regificoſque vllo haud reuocent diſcrimine ſumpus .
Magnanimi nàm cura Patris, Natique ſuperſtes
Dextera perpetuos celebrat generoſa per annos
Non æs , non aurum , non officioſa viciſſim
Eximio tardaſſe operi incrementa laborum .
Non ideò artifices rem fraudauere , nec arte
Ipſa fatigatos lapides natura fefellit :
Sic pretio ſuſpenſa magis , ſpatioſaque grato
Lumina circuitu retinet pulcherrimus ordo .
  Suſpicias modicum , ſed non teſtudinis orbem
Diſparitate polis aliam mutaſſe figuram ,
Æmula quàm toto hoc fiat Via Lactea Cœlo ,
Sicut ab altiuagi monſtrant Aſarota recurſus
Poſſe notis æquas rerum contendere formas .
Viſcera nanque frequens huc exanthlata ſub imo
Crediderim penitus látere ingenioſa , ſuiſque

Can-

Candidiora Sagrum niueis tribuisse metallis,
Montibus ac nostris quidquid variando colores
Continuò natura facit spectabile, quidquid
Externæ in pretium sitiunt hoc littore puppes.
Græcia se Pario ostentet, se iactet Hymetto,
Se Naxo, & Gallo præcellat Sinada rubro:
Tænara sit viridi, serpenti plausus Ophytes:
Quis lapidum numerare valet, quæ singula ferro,
Quæque dato subiere loco pretiosa? Putares
E varijs Nomadas, pictisque è rupibus isthuc
Collegisse suos, & versicoloribus ipsum
Hos inter longè cumulos venisse Carystum,
Præstat materies adeò tàm rara. Quis ergo
Auctor, & in specie rerum, tantusque gerendo
Esse potest operi? Sugilas, aut Spintharus essent
Digni laude Viri. Vestros ad sidera prisci
Ferte homines: noster pleno celebrabitur ore
Clarus Alexander: cui postquam Te Duce digna,
Carole, munifico dederit fortuna laborem,
Ingeniumque Viro, nullum esse industrius, & plus
Ordine dispositum pro re, pro tempore cernis.
Nam quid? quid melius poteras, quid clarius orbe,
Maius in aduersis, rebusque impunè secundis

Gra-

Gratius ante Deum? Quid fortunatius omni
Iure Tibi, generique tuo? Bella horrida bella
Imperium latè properent ditione, ſibique
Tempora præcipites reuocent, qui caſtra ſequuntur:
Tu vera pietate frequens non Marte, nec armis
Pace ſed inuigilas, ſanctiſque laboribus vrges,
Vnde nec ore piger, nec mente inglorius vnquam
Pergis, vt in Charitum, Cœlique in amore triumphes.
Tantum effatus erat ſenior; cum Frigidus vnà
Germanum amplexus plectro commendat amoris
Debita; & intereà dulci modulamine laudum
Inſonat, è Diuis vtroque abeunte, Sacellum.

FINIS:

MC